



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Devs omnia est omnibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

statim sanus factus est homo ille. Enim uero adeo sanus factus est, ut illico sustulerit ipse grabatum suum, nouus Atlas factus. Ex quibus omnibus enumeratis exemplis clarum fit, quam diuersa sint diuina iudicia ab humanis; cum toties Deus iudicet manum porrigendam ijs, quos homines esse deserendos iudicauerunt; quorum vtrumque docet, nec nimiam in hominibus fiduciam collocandam, nec vnuquam Deo diffidendum. Hoc est, quod veteri proverbio dicitur: Deus de machina: stat enim ille pro nobis invocatus, cum nos etiam in extrema tegula stamus.

C A P V T X I I I .

*Deum, tum in omni, tum etiam in pecuniaria necessitate
eagentibus mirabiliter subuenire.*

I.

2. Cor. 5. 18.
Ephes. 3. 20.

Ierem. 2. 13.

II.

Drofanorum hominum iudicio; Nummus est humana potentiae compendium; rectius dicerent: Deus est humane potentiae compendium. Siquidem omnia ex Deo, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, que operatur in nobis. Ille fons est omnis boni; ille Oceanus misericordiarum; ille asylum; ille scutum; ille portus; ille spes prima & ultima miserorum. Ut proinde stolidè erret, qui, fonte deserto, cisternas sibi fodit, quæ continent non valent aquas; aut fluum, immo riuum, existimat Oceano pleniorem; vel qui, cum vidit, se ab omnibus deserit, etiam à Deo desertum arbitratur; quasi exhausta sit illius potentia & bonitas, aut fons misericordiæ exsiccatus. Non nudit Deum, quisquis, in rebus ambiguis, non consulit Deum. Non credit Mundi gubernatorem Mundo esse superiorem, qui cunque se abstrahi sinit, per ullam rem Mundi. O quam vilis spes est, quæ nititur Mundi potentia! quam fugax Principum custodia! quam fallax fiducia creaturæ! Fascinatio, error, cæcitas, insania est, querere ubique vel solatia, vel auxilia, & ignorare, aut obliuisci eum, in quo sunt omnia, immo etiam à quo sunt omnia, qui & est omnia in omnibus.

De Protheo, versipelle falsoque Deo, quem alij Vertumnus appellauerunt, Propertius ita cecinit:

Oppor-

Opportuna mea est cunctis natura figuris.

In quamcunq; doles, verte, decorus ero.

Propert.lib.
4. eleg.

Multò verius hæc de vero Deo canas: in omnibus periculis, in omni necessitate est opportunus. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratia: ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Amemus ubique pulchrum. Pulcher est in pulchro Mundo, quem condidit; pulcher in potentia; pulcher in misericordia; pulcher in æquitate; pulcher in cœlo; pulcher in terra; decorus in Virginis vtero; decorus in iumentorum stabulo; decorus in cunis; decorus in templis; decorus in spinis; decorus in clavis; decorus in ipsa crucis deformitate: potens verbo, potens facto. Pete ab eo, quidquid à Deo peti potest, & (si quidem tibi proderit) scito, te impetraturum. Accusant te homines? premunt aduersarij? ad illum recurre, & audies: *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; protegabo eum, quoniam cognovit nomen meum.* Sic sperantes Apostolos à calumnijs Pharisæorum liberavit, quando esurientes cuperunt vellere spicas, & manducare, & *Pharisæi videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis:* Tunc enim dixit eis: *Non legistis quid fecerit David: quando esurijt, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedid, quos non licebat ei edere, neque his, quicum eo erant, nisi solis sacerdotibus.* Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo sabbatum violent, & sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem scireis, quid est: *Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassei innocentes.* Eodem pacto protexit illos, quando accesserunt ad eum *ab Ierosolymis Scribe & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgredintur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant.* Nimurum sic Deus iudicat, vt male iudicantes damnet; & cum nemo est, qui defendat innocentes, ille patriconium eorum suscipit. Quod qui credit vnde linguis appetitus, libenter ad illum recurrens dicit: *Redime me a calumnijs hominum.*

Psal. 90. 14.

Matth. 12. 1.

I. Reg. 21. 4.

Matth. 15. 1.

Psal. 118.

Quid, quod ab ipsis etiam amicis, cognatis, fratribus ac parentibus deserti à Deo non deseruntur? Neque enim vana est laus illa: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Nonne amici Iob tales erant, vt eis meritò diceret: *Iob, 16. 2.* consola-

III.